



71
72
73
74
75
76
77
78



17.

1775, 55.

75

EXERCITATIO IVRIDICA

*Vsum actionis de recepto
quoad mores hodiernos*

EXHIBENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE
IN PROVINCIA SVPREMAE NEC NON FACVLTV. IVRID.
ASSESS. ET ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XVII. FEBR. MDCCLXXV.

PVBLICE DEFENDET

FRIDERICVS GVILIELMVS ADLER

N A R I S C.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

116. 311



EXERCITATIO IURIDICA

Thema: De officio de recepto

INSTITUTIONES IURIDICAE

IN IURIS GOTTIFREDI

IN VICTORIO

DE OFFICIO DE RECEPTO

ET

DE OFFICIO DE RECEPTO





§. I.



Ex tribus nebulonibus, quos, ut absit animus iniuriandi, ex sententia glossatorum ad titulum Pandectarum Nautae, caupones, et stabularii, ita recensere licet, in praesentiarum prodeat caupo, qui quotidiani quaestus gratia cauponam exercet, et peregrinantes quorum interest, ut res secum portantes, habeant saluas, recipit. Bene perspexit Praetor, necessitatem exigere, ut essent loca, in quibus peregrinantes, itinere defatigati requiescere, et esculenta pariter, quam potulenta, quae corpus confirmant, animumque recreant, sibi comparare possunt. Opti-



me vero etiam intellexit, saluti publicae conuenire, vt iter facientes ab omni iniuria reddantur liberi, nec dolo, vel petulantia cauponum, qui forsan acquirendi cupiditate inducti, male sentiunt, iacturam rerum patientur, et cauponae detentationi furum inferuiant. Qua propter in Edicto suo, quod refert *VLPIANVS l. i. ff. Naut. caup. et stabul.* aduersus caupones, pariter nautas et stabularios, quod cuiusque saluum esse ceperint, (quod idem est ac receperint) nisi restituant, iudicium promittit. Conuenimus autem cauponem vel ex facto illicito, quando dolo aut furto eorum, quorum opera cauponam exercet, nobis damnum illatum, et sic quasi ex maleficio illum esse obligatum, iubet Imperator §. finali *Inst. de obligat. quae quasi ex delicto nascuntur*: vel agimus contra cauponem ex facto licito, quoties in caupona circa res a caupone receptas, iacturam, siue ab hospite vel alio in caupona commorante patimur.

§. II.

Fundamentum huius actionis plerique esse putant quasi contractum, ex quo caupo ad satisfaciendum viatoribus, quorum res in caupona non fuerunt saluae, tenetur. Sed veritatem huius affecti merito nego. Petitio etenim est principii, vtrum quasi contractus existant, et analogiae iuris conueniant. Non equidem ignoreo titulum Institutionum, de obligationibus, quae quasi ex contractu nascuntur, in quibus Iustinianus ob-

liga-

ligationibus naturalibus, quae instar pactorum nudo-
 rum iure civili non valebant, eundem tribuit effectum,
 quem contractus sua natura producebant, cum repugna-
 ret sanae rationi, negotiis aequitati et regulis iuri naturae
 conuenientibus, denegare efficaciam; at diuisionem in-
 ter contractus veros et quasi in legibus nunquam inue-
 ni, sed potius ex scholis Doctorum, qui nouitatis stu-
 dium amant, didici. Etsi etiam opinionem illam pro
 vera agnoscerem, nihilominus tamen applicationem ad
 actionem de recepto, penitus negare cogor. Substan-
 tiale enim quasi contractus, praesumptum, siue fictum
 consensum esse adserunt, hac ex causa si quis absentis
 et ignorantis negotia gerit, quasi contractum intercede-
 re putant, et absentem ex ficto consensu obligatum es-
 se contendunt. Consideres nunc quaeso, an ex parte
 cauponis fictus obueniatur consensus, neuiquam hoc de-
 fendere poteris. Dum enim is consentiente viatore res
 recipit, ipso facto declarat custodiam rei, et id promit-
 tit, ad quod natura negotii cauponem stringit. Me-
 liori itaque iure affirmo, fundamentum actionis de re-
 cepto, esse dispositionem legis, quae cauponibus sub hac
 conditione, vt indemnes praestent viatores exercitium
 cauponae permittit.

§. III.

Hac ex causa facilius negotio diiudicare licebit,
 vtrum sententia eorum, qui ex moribus hodiernis



actionem de recepto, non nisi culpa cauponis concurrat, locum obtinere contendunt, applausum mereatur. *TITIVS in iure Priu. lib. X. cap. XIV. §. 8.* quasi contractum inter hospitem actiuum et passiuum fingi contendit, et sententiam defendit, quod inter vtrumque intuitu vsus rerum concedendarum locatio conductio, quoad cibaria vero emtio venditio ineatur. Et vt lege auctoritatem sibi conciliet, prouocat ad legem *5. ff. Naut. caup. stab.* vbi Gaius, quod nauta, caupo et stabularius mercedem accipiat, adferit: Exinde colligit *TITIVS* ad damni restitutionem non aliter obligatum dici posse cauponem, quam si culpam commiserit. Cui sententiae quoque *SCHAVMBVRC* in *Int. ad ius Saxon. P. III. Sect. II. Exercit. X. §. 10.* adstipulatur.

§. IV.

Non equidem alienus sum a Titio, quod inter hospitem et cauponem respectu rerum, quarum vsum hic illi pro certa mercede relinquit, ineatur locatio conductio, nec me mouet opinio *WERNHERI P.V. obs. 319.* qui argumento *§. 1. l. de locat. conduct.* locationem tacito consensu ab initio vix iniiri posse statuit, locus enim ad quem *Wernherus* prouocat, tantum probat, quod, quemadmodum emtio venditio sine pretio non consistit, ita nec locatio conductio, quia iisdem regulis iuris absoluitur, sine mercede non valeat. Bene tamen distinguendum est, inter res, quas caupo viatoribus vt
iis

❖ ❖ ❖ 7

iis vtantur, concedit, et inter res a viatoribus in cauponam illatas. Respectu harum viatorum cum caupone locationem non celebrat, sed hic ipso iure ad indemnitate praestationem ex natura et indole negotii cauponarii quod exercet, tenetur. Hinc *Caesar lib. 6. de Bell. Gall.* de praefiscis Germanis ait. Hospites violare non putant, qui quaque de causa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, sanctosque habent. *Ipsa lex §. ff. Naut. caup.* quam Titius citauit, hanc decisionem probat. Ait enim Gaius expressis verbis: *Caupo mercedem recipit non pro custodia, sed vt viatores manere in caupona patiatur.* Distincte secernit Iustus vsum cauponae, quem caupo viatoribus concedit, a custodia, quam ille circa res in cauponam illatas praestat, et dum negat mercedem dari pro custodia, liquide probat, custodiam ad officium cauponis pertinere, ita, vt si semel receperit res, quas peregrinantes secum portant, ipso iure ad satisfaciendum, si quid perierit, teneatur, nec speciali pacto vel contractu opus sit.

§. V.

Miror maximopere, cur ab intentione, quam Praetor in proponendo Edicto fouet, recedamus, et noua eademque ab actione de recepto aliena statuamus. Quodsi enim ad fontem, vt negotium desiderat recurrere velimus, nos sponte profiteri oportet, Praetorem minime ad culpam cauponis respexisse, sed solummodo



ex eo, an is res in cauponam illatas receperit, iudicium tulisse. Verba etenim Edicti, *Nautae, caupones, stabularii, quod cuiusque saluum ceperint, nisi restituant, in eos iudicium dabo etc.* generaliter sunt concepta et Praetor, qui culpae nullam facit mentionem, liquido indicat, cauponem dum recipit res, indemnitate promittere peregrinantibus, ex qua promissione restitutionem rerum amissarum de iure petunt. Quid quod ipse Ulpianus, qui hoc Edictum interpretatur, huic sententiae applausum praebet, et de Praetoris mente testetur. Non solum enim in l. 1. §. 8. ff. *Naut. caup.* cum exponeret verba Edicti, *recipit autem Saluum fore,* demonstrat, factum nautarum et viatorum esse praestandum et idem de cauponibus subsequente lege secunda adfirmat, sed etiam l. 3. propositionem, quam defendimus, probat. Cum enim sollicitus esset de remouendo dubio, cur honoraria actio sit inducta, cum sint actiones ciuiles, sua decisione demonstrat, actionem de recepto esse pinguiorem, quoniam de eo utrum culpa cauponis concurrat, nec ne, nulla quaestio mouenda. En ipsa verba Icti: *at hoc edicto omnimodo, qui recepit tenetur, etiam si sine culpa eius res perit, vel damnum datum est, nisi si quid damno fatali contingit.*



§. VI.

Obiicies forsan, summam sapere iniquitatem, quod caupo a culpa vacuus indemnem praestare debeat viatorem, cum aequitas, quae teste PAVLO l. 90. ff. de Reg. Iur. in omnibus quidem, maxime tamen in iure spectanda est, regulariter tantum eum ad refarciendum damnum stringat, qui sua culpa hoc excitavit. De Praetore vero constat; quod in proponendis Edictis semper ad aequitatem respexerit, et rigorem iuris civilis ab aequitate recedentis, emendauerit. Est enim ius Praetorium ex sententia PAPINIANI l. 7. §. 1. ff. de I. et I. quod Praetores introduxerunt, adiuuandi, vel supplendi, vel corrigendi iuris civilis gratia. Cum itaque Praetor aequitatem sequatur, vix credendum est, eius intentionem in concedenda actione de recepto, eam fuisse, ut caupo, qui non in culpa versatur, ad restituendum damnum teneatur. Sed inanis erit haec obiectio, dummodo considerare velis, Praetorem in proponendo Edicto respexisse ad utilitatem publicam, ut nempe securi sint viatores contra iniuriam, et cauponibus occasio committendi fraudes auferatur. Id testantur verba VLPIANI l. 1. §. 1. ff. Naut. caup. et nisi hoc esset statutum, materia daretur cum furibus coeundi cum ne nunc quidem abstineant huiusmodi fraudibus, quod et in l. 3. §. 2. verbis: nisi forte ideo, ut immotesceret Praetor curam agere reprimendae improbitatis hoc genus
B homi-



hominum. Hinc etiam apud veteres Graecos et Romanos scriptores, caupones male audiunt, et de illorum vilitate, improbitate, avaritia, malitia et perfidia multa leguntur, ita vt Horatius nunquam faciat mentionem cauponum, quin continuo adiiciat, cuius perfidiae esse soleant.

§. VII.

Accedit et alia ratio, quam suppeditat VLP IANVS l. 1. §. 1. ff. *Naut. caup.* Cum enim liberare voluerit Praetorem ab iniuria, quae ipsi forsan poterat vitio verti, vitur verbis: *Ne quisquam putet, grauiter hoc aduersus eos constitutum, nam est in ipsorum arbitrio, ne quem recipiant.* Confirmat hac ratione Ictus axioma iuri et aequitati omni ex parte conueniens: volenti scilicet non fieri iniuriam. Dum enim caupo res in cauponam illatas recipit, tacite promittit custodiam, et in eo consentit, vt viatorem indemnem praestare velit.

§. VIII.

Obstare huic legi videtur lex vnica §. 6. ff. *furti aduersus nautas*, vbi denegatur cauponi facultas repellendi viatores. Ast cum non probabile videatur Ictum sibi met ipsi contradixisse, et quod in altera lege adfirmavit,



firmavit, in altera negasse, ad conciliandam utramque sententiam, coniectura, eademque veritati proxima erit adhibenda. Distinguendum nempe est inter cauponem, qui hospitii munus publice profitetur, et eum, qui tantum ex amicitia et humanitate viatorem admittit. Ille cum ea intentione exerceat cauponam, ut quilibet accedere possit, viatores repellere non potest, quod secus est in hoc, qui ad id, quod ex humanitate facit, non potest cogi, conf. Barthol. ad l. 1. §. 1. MAEVI-VS P. III. Dec. 63. n. 1. In utroque tamen casu obtinet principium iuris, cauponem simulac recipit res illatas, ad damnum circa res contingens, resarcendum teneri.

§. IX.

Confirmat quoque hanc nostram sententiam CARPZOV. P. II. Const. XXVI. def. X. et numero nono expressis verbis declarat, Praetoris Edictum hoc amplius praestare, ut non solum ex dolo suo, veluti in depositi, aut culpa, ut in locati iudicio, sed omnimodo qui recepit, conveniri queat, etiamsi non ipsius cauponis, sed familiae suae negligentia, vel casu, qui praecaveri potuit, res in hospitium recepta perierit, vel damnum datum sit: et prouocat ad probandam causam ad l. 3. §. 1. ff. Naut. caup. Et sane haec verba magis sunt attendenda, quam summarium illius definitionis,



tionis, forte non ab ipso auctore conceptum, vel responsum adiectum, casum tum propositum respiciens, et verba consultatoris, vti fieri solet repetens.

§. X.

Non inutile fore arbitror addere responsum Facultatis Iuridicae Wittenbergensis, quod Sempronio hac de re quaerenti Mens. Nou. 1745. dedit.

Auf vorstehende Facti speciem und angehängte Rechts-Fragen,

Erachten, sprechen und bekennen Wir Dechant, Ordinarius, und andere Doctores der Juristen Facultet in der Vniverlitaet Wittenberg, und zwar anfänglich auf die erste Frage in Rechten ergründet,

Hat Mevius ein Gastwirth, zweyen Passagiers Titio und Sempronio, welche bey ihm Nacht Quartier verlangt, vor sie und ihre Sachen eine Stube angewiesen, in welcher sich beyde, nachdem sie ihre goldene Taschen Uhren auf den Tisch geleet, auch Sempronius seine Bein- kleider, worinuen ein Beutel mit 194. Thalern befindlich, an einen bey dem Bette stehenden Stuhl gehangen, um 12. Uhr zur Nacht, zum Schlafen niedergeleet. Es wird aber Sempronius, als er frühe aufstehet, gewahr, das die Thüre, ohngeachtet selbige von ihren Bedienten verschlossen worden, offen ist, und beyde goldne Uhern von dem Tische, auch der Beutel mit denen 194. Thalern gestohlen worden, worauf den beyde es dem Wirthe melden, welcher

cher sogleich durch den Gerichts-Frohn Haussuchung thun läset, und als dadurch nichts zu erlangen, sich der von beyden Passagirtin verlangten Restitution weigert, und entsethet demnach die erste Frage:

Ob Actio ex recepto wieder den Wirth statt finde, und derselbe ad restituendum, da er denen Gästen das Zimmer angewiesen, gehalten werde, oder, ob der Umstand mit der Haussuchung die Sache alterire?

Ob nun wohl verschiedene Rechtslehrer behaupten, daß actio ex recepto nur alsdenn, wenn dem Wirth einige culpa beygemessen werden könne, statt finde, und es hier zweifelhaft scheinen möchte, ob des Gastwirths Mevii culpa bey dem Diebstahl concurrirte, oder ob nicht vielmehr, da derselbe sogleich, als ihm Titius und Sempronius davon Eröffnung gethan, die Haussuchung bewerkstelligen lassen, und die gestohlenen Sachen dennoch nicht gefunden worden, alle Vermuthung, daß jemand von denen in seinen Wirths Hause befindlichen Personen den Diebstahl vollbracht, hinweg falle, oder auch denen Passagiren selbst einige culpa beyzumessen, inmassen sie die Thüre nicht selbst verschlossen, sondern, nachdem sie zu Betie gegangen, es dem Bedienten überlassen, solche zuverschließen, auch vielleicht denselben den Schlüssel mitnehmen lassen, und daß solchenfalls obermeldete Actio wieder den Wirth nicht angestellt werden könne, es sich ansehen läset, Die weil aber dennoch, nach denen Rechten ein Gastwirth ex recepto auch alsdenn belanget werden kann. Si sine cul-



pa eius res perit, L. 3. §. 1. ff. Nautae Caupones, Wernher Obseru. For. Vol. V. obf. 321. n. 1. et obf. 322. also hier nicht in Erwegung kommt, ob einige culpa wieder Mevium erwiesen werden könne, wiewohl sich solche daraus, daß die verschiedenen Thüren des Zimmers mit brauchbaren Riegeln nicht versehen gewesen, gar deutlich ergibt; Hiernächst die vergebens unternommene Haussuchung zwar soviel, daß die gestohlenen Sachen bey seinen Hausleuten nicht gefunden worden, erklärt, jedoch dadurch nicht abgelehnet wird, daß derselbe von jemanden in seinem Hause begangen worden, vielmehr diese Praesumption dadurch, daß, seinem eigenen Geständnisse nach, das Haus erst frühe um 6. Uhr eröffnet worden, sehr bestärcket wird, Mevio aber obliegen würde, wenn er Titio und Sempronio einige culpam beymessen wollte, solche zu rweisen. So erscheinet daraus soviel, daß Mevius, der beschriebenen Haussuchung ungeacht, ex recepto belanget, und ad restituendum gehalten werden könne, jedoch demselben sodann frey stehe, entweder casum fatalem, aut vim maiorem, L. 3. §. 1. ff. Nautae Caupones. Mencken Syn. Pand. hoc titl. §. 4 oder culpam Titii und Sempronii, oder deren Bedientens, zu erweisen, L. 7. pr. Nautae, caup. Lauterbach. Colleg. Pandect. h. t. §. 19. Boecler de inre hospitiorum Cap. V. §. 5. no. 5. in welchen Fällen, da die Action dadurch elidiret werden könnte, es darauf ankommen würde, wieweit Titius und Sempronius beydes abzulehnen vermöchten.



Leipzig, Diss., 1775 K-2

ULB Halle

005 359 015

3







17

1775,55.

15

EXERCITATIO IVRIDICA
*Vsum actionis de recepto
quoad mores hodiernos*

EXHIBENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE
IN PROVINCIA SVPREMAE NEC NON FACVLT. IVRID.
ASSESS. ET ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XVIIII. FEBR. MDCCLXXV.

PVBLICE DEFENDET

FRIDERICVS GVILIELMVS ADLER

N A R I S C.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

